

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 7152

**Auteur(s) :** Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Fils du roi Henri II [autre]

**Genre d'acte :** notice

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1174, octobre

**Lieu d'émission :** Falaise

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Traité de paix entre le roi et ses fils.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Stubbs William, *Gesta regis Henrici Secundi Benedicti abbatis*, the chronicle of the reigns of Henry II. and Richard I. A.D. 1169-1192, known commonly under the name of Benedict of Peterborough, Londres, Longmans, Green, Reader, and Dyer (Rerum Britannicarum Medii Aevi Scriptores, or, Chronicles and Memorials of Great Britain and Ireland during the Middle Ages ; 49), 1867, 2 vol., t. 1, p. 77.

b. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° CCCCLXVIII, t. 2, p. 18-21.

## Dissertation critique

Sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, Recueil des actes de Henri II, t. 2, p. 19.

Texte établi d'après b

Notum sit tam presentibus quam futuris quod pax inter dominum H[enricum] regem Angl[orum] et filios ejus, H[enricum] videlicet regem et Ricardum et Gaufridum in hunc modum Deo volente reformata est. H[enricus] rex et fratres sui predicti ad patrem suum et ad servicium ejus, sicut ad dominum suum, redierunt, liberi et absoluti ab omni juramento et inprisa quam inter se vel cum aliis fecerant contra eum et homines suos. Et omnes barones et homines, qui a fidelitate patris causa eorum recesserunt, clamaverunt quietos ab omni juramento quod eis fecerant, et ita liberi et quieti ab omni juramento et absoluti ab omni conventionem quam eis fecerant, in hominum et liganciam domini regis redierunt. Et dominus rex debet rehabere, ipse et barones et homines sui, omnes terras suas et castella sua, que habuerunt XV. dies antequam filii sui recederent ab eo. Similiter barones et homines sui qui recesserunt ab eo et secuti sunt filios suos, debent rehabere terras suas quas habuerunt XV. diebus antequam ipsi ab eo recederent ; et dominus rex remisit omnem malivolentiam baronibus et hominibus suis qui recesserunt ab eo, ita quod propter hoc nullum malum eis faciet, quamdiu ei fideliter servient sicut ligio domino suo. Et rex filius ejus similiter perdonavit omnibus tam clericis quam laicis qui cum patre fuerunt omnem malivolenciam suam, et assecuravit in manu domini regis, patris sui, quod illis qui servierunt ei nec malum nec dampnum aliquod hac de causa faciet vel perquiret in tota vita sua. Et dominus rex, per hanc conventionem, donat regi filio suo duo castella idonea in

Normannia ad voluntatem ipsius patris, et singulis annis XV. millia librarum Andegavensium, et Ricardo filio suo in Pictavia duo receptacula idonea, unde domino regi non possit dampnum provenire, et medietatem reddituum Pictavie in denariis ; Gaufrido vero filio suo dat in Britannia in denariis medietatem reddituum maritaggi filie comitis Conani, quam ducere debet in uxorem. Et postquam concessione ecclesie Romane eam in uxorem duxerit, habebit omnes redditus illius maritaggi, sicut continetur in carta comitis Conani. Prisones vero qui cum domino rege finem fecerunt ante pacem factam, videlicet rex Scocie, et comes Legrecestrie, et comes Cestr[ie], et Radulfus de Fulgeriis, et obsides eorum, et obsides aliorum prisonum quos prius habuerat, sunt extra conventionem istam. Alii autem prisones ex utraque parte liberari debent, ita scilicet quod dominus rex obsides accipiet de prisonibus suis de quibus habere voluerit et qui dare poterunt ; et de aliis habebit securitatem per fidem et juramentum suum et amicorum suorum. Castella autem que firmata sunt vel inforciata postquam guerra incepit in terra domini regis pro voluntate sua debent redigi ad illum statum in quo fuerunt XV. diebus ante guerram. Preterea sciendum est quod rex H[enricus] filius regis concessit domino regi patri suo se firmiter observaturum omnes donationes elemosinarum quas dederat vel daturus erat de terris suis, et donationes terrarum quas dederat hominibus suis vel daturus erat pro servicio suo. Concessit etiam se firmiter et inconcusse observaturum donationem quam dominus rex pater suus fecit Johanni fratri suo, videlicet mille libras reddituum in Anglia de dominio suo et de eschaetis suis ad voluntatem suam, et castellum de Notingham cum comitatu et pertinenciis suis, et castellum de Merleberg[a] cum pertinenciis suis, et in Normannia mille libras reddituum Andegavensium, et duo castella ad voluntatem patris, et in Andegavia et in terra que fuit comitis And[egavorum], mille libras reddituum Andegavensium, et castellum unum in Andegavia, et unum in Cenomannia, et unum in Turonia. Concessum est etiam a domino rege pro amore filii sui, quod omnes illi qui recesserunt ab eo post filium suum, et in recessu suo forisfecerunt in terra domini regis, ad pacem ejus revertantur, ita quod de catallis que asportaverunt in recessu suo non respondeant, sed de morte vel prodicione vel perdicione alicujus membri respondeant secundum judicium et consuetudinem terre. Qui autem ante guerram quacumque de causa aufugerant, et ad servicium filii sui venerunt, pro amore filii sui ad pacem revertantur, si wadium et plegium dederint standi judicio de his que ante guerram forisfecerunt. Illi autem qui in placito erant quando recesserunt ad filium suum, revertantur, ita quod in eo statu placiti sui sint in quo erant quando recesserunt. Hanc conventionem firmiter tenendam ex parte sua assecuravit H[enricus] rex filius regis in manu domini regis patris sui. Preterea assecuraverunt H[enricus] filius regis et fratres sui quod a domino rege patre suo nunquam amplius exigent ultra donationem prescriptam et determinatam contra voluntatem et beneplacitum domini regis patris sui, et quod neque se neque servicia sua patri suo subtraherent. Ricardus vero et Gaufridus, filii domini regis, devenerunt homines ejus de his, que eis concessit et dedit. Cum autem filius ejus H[enricus] homagium ei facere voluisset, noluit dominus rex recipere, quia rex erat, sed securitatem accepit ab eo.

Testibus : R. Rothomagensi archiepiscopo, Henrico Baiocensi episcopo, Frogero Sagiensi episcopo, R. Nanetensi episcopo, Stephano Redonensi episcopo, G. electo Linc[oln]iensi, Johanne decano Sar[esber]iensi, Ricardo de Humetis constabulario, Ricardo de Bellomonte vic[ecomite], Reginaldo de Curten[ai], Mauricio de Creona, Willelmo Malo Vicino, W. de Hum[etis], Gaufrido de Pertico, Willelmo de Curci, Fulcone Paenello, Johanne de Solineio, Sehero de Quinci, Ricardo de Canvill[a], Willelmo Filio Audel[ini] senescallo, Alvredo de Sancto Martino dapifero, Gosberto de Sisseneio, Roberto Filio Ernisi, Eudone Filio Ern[isi], Waltero de Ypra, Willelmo Marescallo, Roberto de Ble., Eimerio Filio Eudonis.

Apud Falesiam.